

Quas supra rationes aspectuum ex hac tabula constituimus, eæ singulæ referendæ sunt ad meridianum Augustanum, vel ei similem. Quod si eas ad alium quempiam meridianum habere volueris, Indicem præcipuarum ciuitatum Europæ, qui paulo post sequitur, consulto, ac ibidem nomen ciuitatis propositæ accipito, Penes quod, Tempus offendes, duplici modo vsurpandum, Primo pro coniunctionibus, oppositionibus & alijs aspectibus, potissimum Lunæ cum planetis, Deinde pro motu Lunæ deprehendendo. Quando igitur tempori, sub columnula coniunctionum, oppositionum & aliorum aspectuum, litera A annectitur, addes id rationibus aspectus, ad meridianum Augustæ Vindelicorum constitutis: Aut illud ab eisdem subtrahes, quando S apponitur. Sic namq; verum tempus aspectus, ad propositum meridianum, inuenies.

EXEMPLVM.

Supra ostendimus coniunctionem Lunæ ac Saturni fore anno domini 1556. Die 17. Octobris, horis à merid: 7. minut: 30. idq; sub meridiano Augustano. Volo autem scire quando ea Lysibone Portugalliæ accidet. Nomen ergo huius ciuitatis in Indice præcipuarum ciuitatum Europæ accipio, Penes quod, Tempus offertur, hor: 1. minut: 37. Cui, cum sub columnula Coniunctionis, Oppositionis & aliorum aspectuum S annectatur, subtraho id ab antedictis rationibus aspectus, ad meridianum Augustanum constitutis, & remanent horæ 5. minut: 53. Quibus in ea vrbe coniunctionem illam Lunæ ac Saturni fore pronuncio. Obseruata porro hac doctrinæ methode, eadem coniunctio Lunæ & Saturni fiet Bellogradi ciuitate Hungariæ horis à merid: 8. minut: 36. Sic diuersitas temporum apparet, quæ à meridianorum diuersitate pendet.

ALIUD.

Supra ostendimus oppositionem Lunæ ac Solis futurâ, Anno domini 1559. Die 18. Iulij, Horis à merid: 21. minut: 55. idq; sub meridiano Augustano. Volo autem scire quando ea Cracouiæ Poloniæ accidet. Nomen ergo huius ciuitatis in Indice præcipuarum ciuitatum Europæ accipio, Penes quod, Tempus offertur, minut: 37. Cui, cum sub columnula coniunctionis, Oppositionis & aliorum aspectuum, litera A annectatur, addo id antedictis rationibus aspectus, ad meridianum Augustanum constitutis, & conflantur hor: 22. minut: 32. Quibus in ea vrbe oppositionem illam Lunæ ac Solis futuram pronuncio. Obseruata porro hac doctrinæ methode, eadem oppositio Lunæ ac Solis fiet Parisijs ciuitate Galliæ horis à merid: 21. minut: 10. Sic diuersitas temporum apparet, quæ à meridianorum diuersitate pendet.

DE ORIENTALITATE, ET OCCIDENTALITATE Planetarum.

CAPVT XIII.

Planete tres superiores, utpote Saturnus, Iuppiter, Mars Orientales sunt, à coniunctione eorum cum Sole vsq; ad oppositionem. Contra occidentales, ab oppositione eorum cum Sole vsq; ad coniunctionem. Planetæ duo inferiores, utpote Venus et Mercurius, Orientales esse dicuntur, cum manè Solem antecedunt, hoc est, dum ante Solis ortum supra terram constituuntur. Occidentales, cum Vesperi Solem sequuntur, hoc est, dum post occasum Solis supra terrâ versantur. * Luna autem à nouilunio vsq; ad pleniluniū Occidentalis nominatur. Quia tunc post occasum Solis supra terram apparet. A plenilunio verò vsq; ad nouilunium Orientalis appellatur. Quia tunc ante ortum Solis supra terram conspicitur.

EXEMPLVM.

Anno Domini 1560. circa finem mensis Iulij, Mars Orientalis est. Sol enim à coniunctione eius ad oppositum recedit, Et quidem die 20. Iulij, statim post horam pomeridianam 3. minut: 50. Orientalis esse cæpit, à tempore videlicet coniunctionis suæ cum Sole. Permanebit autem in illa Orientalitate, vsq; ad annum Domini 1561. diem 12. Augusti, horam pomeridianam 1. minut: 54. vbi postea occidentalis fieri incipiet, propter oppositionem suam cum Sole.

*Ita scribit Johannes Schonerus in opusculo suo Astrologico, Canone decimo. Sed Ptolomæus in Quadrupartito suo, ubi de matrimonio dissertit, contrarium sentit. Dicit enim Lunam orientalem esse à nouilunio vsq; ad plenilunium, Occidentalem vero à plenilunio vsq; ad nouilunium.

Aliud,